

Rob. Bellarmino S.R.E.Cardinali. Romam.

Ill/me et R/me Domine,

Quam prioribus meis morae caussam explicavi, Ill/mae G.V. ut equissimus spero admiserit, et jam a septimanis aliquot integrum e-
5 opusculi sui exemplar recepissee confido, et nostras in eo cudendo atque indice concinnando operam haud improbavisse. Plura erratula, quae in ipsam dedicatoriam nescio quo casu irrepserant, ipso recuso folio emendavimus. At dictiones illae, de nominibus duodecim, nulla nostra culpa, sed apographi vitio amissae sunt; quod ipsum fidei no-
10 strae asserendae mitto. De Graduali haud ultra instamus: Sed ingentes Ill/mae G.V. gratias agimus, ob molestiam quam in nostro hoc negotio perquam longius suscepit. Nihil imprimis praeter S.D.N. decretum expectare velimus: nec de recudendo Graduali festinamus priusquam Belgii Antistites novam a nobis editionem exposcant; qui f
15 forte antiquo suo cantu in haerere malent quam novum amplecti, praesertim cum nullum Sanctitatis suae mandatum ad hunc eos impellat.

Ad D.Andream Brugiotti bibliopolam fasciculum Ill/mae G.V. recudendum misi: nimirum duodecim opusculi De felicitate Sanctorum exempla, bina Grammaticae Hebraicae a nobis recusae, Missale Romanum, 20 Vitam S.Augustini a P.Lancelotto Augustiniano conscriptam. R.P. Lessii De Summo bono et aeterna beatitudine libros, denique R.D. Francisci Lucae Commentariorum in Evangelia tomum quartum; qui a ipso Auctore transmittitur. At reliquos a mea et fratris mei manu libros ut gratos acceptosque Ill/ma D.V. habere dignetur, et nos
25 humillimos clientes suos amare uti pergat, unice rogamus.

Vale, Ill/me Ecclesiae Princeps, Antverpiae, in officina Plantiniana, XV Aprilis M.DC.XVI.